

In: 4848  
C.L.

50

**PLANTÆ  
TINCTORIÆ,**

DE QUIBUS  
*SPECIMEN BOTANICO-OECONOMICUM;*  
CONSENSU AMPLISS. FACULT. MED.  
IN ILLUSTRI UPSALIENSI ATHENAEO,

PRÆSIDE  
VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**DN. DOCT. CAROLO  
LINNÆO,**  
EQUITE AURATO DE STELLA POLARI;  
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,  
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.  
ACADEMIÆ UPSALIENS. STOCKHOLM. PETROPOL.  
BEROL. IMPER. LONDINENS. MONSPEL.  
TOLOS. FLORENT. SOCIO,

*Publico bonorum examini modeste submittit*  
Stipendar. Gutherthum.

**ENGELBERTUS JÖRLIN,**  
*Babusia-Gothoburgens.*

IN AUDIT. CAROL. MAJOR. DIE XVI. MAI;  
ANNO MDCCCLIX.

*H. A. M. S.*

---

UPSALIÆ.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
MAGNÆ FIDEI VIR,  
S. S. THEOLOGIÆ DOCTOR  
CELEBERRIME,

D:NE GEORGI  
WALLIN,

Dioceſeos Gothoburgensis EPISCOPE Reveren-  
dissime, Synedrii, quod ibidem eſt, PRÆSES  
Eminentissime, Regii Gymnasii Scholarum-  
que ANTISTES Gravissime,


MÆCENAS GRATIOSISSIME.

נה גROLות ונפלוות עד פארן הן מלאכות יהוה הבורא  
השמים והארץ וכל עז ועשב הארץ לאמר תרשא  
הארץ דשא עשב מזריע ורעד עז לטינחו ועז עשה פרוי אשר  
זרעו בזו למינו. ועודני חונה בהן וחס לביו ותמהן נפל עלי  
שעצמו פعلى השם מבלי הcker וגם שנעשה בעבור אנווש הקטו  
ויצרו

ואזרו עפר מֵ אָדָמָה. וַאֲחָרוֹ כֵן וַיִּשְׁבֶּן בַּעֲנֵי לְהֹזְיאָ לְאוֹר  
הַצְּהָרִים אֶת מְחַשְּׁבוֹתִי אֲשֶׁר כָל חַפְצִי בָּהּן. אֲבָל בְּכֻוְאִ  
לְעָשׂוֹת כָּכָל הָאֹתָן נְפֵשִׁי הַנְּהָרָה הַעַלְיוֹתִי עַל לְבִי לְגַשְׁתָּאָל  
כְּבוֹד מַעַלְתָּךְ וְלְהַצִּיג אַצְלַ הַרְומָן רַגְלֵיךְ אֶת מַעֲשָׂה אַצְבָּעוֹתִ  
הַזָּהָה אֲפָל עַל פַּל שְׁחוֹא כְּמוֹ צַמְחָה בָּאָרֶץ צִיה אוֹ כְּדַמּוֹת קִיקְיוֹן  
שְׁבָן לִילָה הָיָה וּכְן לִילָה אָכָר. וְאֵיר אַחֲדָל מַעַצְתִּי כֵי זָכוֹר  
זְפַרְתִּי אֶת רֹוב חַמְדִים אֲשֶׁר אַתָּה אֲדוֹנוֹ הַגְּדוֹלָה וְהַנוּרָא  
מַנְעוֹרִי וְעַד יָם דֹהָה עַשְׂתָּה עַמְדִי. אַמְנָס הַרְבִּית לְנַגְדִּי  
רַחֲמִיד מִסְפָּר כֵי נָר אֲנִי לְפָנֶיךְ וְקַטּוֹן מִכָּל הַטוֹּבָה אֲשֶׁר  
תַּעֲרוֹק לְעַבְדָךְ וְמַחְלֵב הַשְּׁמָן שְׁדָשָׂתְךָ רַאשֵּׁי בָּו וּמְרֵחָא אֲשִׁיבָה  
לְךָ כָל גַּמְולָהִיךְ עַלְיִ. וּעֲתָה אֲדוֹנוֹ קָח נָא בְּסִבְרָה פְּנֵיסָ  
בְּכָרְיוֹ נָעָרְיוֹ הָאֱלֹהָה דְשָׁאִים וְדוֹדָאִים אֲשֶׁר לְמַנְחָה עַל  
מַוְבָּחָר וּבְחַתִּי לְךָ כֵי יִדְעָת אֲדוֹנוֹ כֵי הָם כָל אֲשָׁל לִי וְגַם  
פָּרָחוֹ מַזְרָעִים אֲשֶׁר שְׁתָלָתָה וְהַנְּנִי מַנִּיחָא אֲוֹתָם בַּיּוֹשֵׁר לְבִי  
מִתְחַת רַגְלֵיךְ לְהִיוֹת לְזִכְרוֹן הַתּוֹדָה וְלַעֲדֹות יְרָאָתָךְ כֵי חַבְעָר  
כְּמוֹ אָש בְּחָודָק כְּסָלִי. וְלֹא אָוְסִיף לְדָבָר כֵי אָם אֲשָׁא כְּפִי  
לְטָרָום לְבָרְכָךְ לְאָמֵר יְהָוָה שְׁבָלְבָדוֹ גָּבָור לְגַטּוֹל יִשְׁמַרְךְ כְּבָתָ  
עַינְיוֹ חַמִּיד וַיְמַלֵּא פִּיךְ בְּשׁוּבָע יָמִים וְתַחְדִּשׁ זְקָנָתְךָ כְּשַׁנִּי  
גַּעֲוִירִיךְ וְתִפְרַח כְּחַמְרָךְ וְכְמוֹ אָרוֹן בְּלֵבְנָן וְכָל אֲנָשָׁי אַרְצָנוֹ יִאָמְרוּ  
אָמֵן וְאָמֵן

## NOMINIS TUI REVERENDISSIMI

Cultor & cliens humillimus  
ENGELBERTUS JÖRLIN.



D. D.

§. I.



xcellentes illas ubi meditamur facultates, quibus Creator Optimus hominem, naturae miraculum instruxit, fieri non potest, quin externis, ut vocantur, sensibus, mox afficiamur; quippe quorum ope interiorum rerum notiones deducimur, quae neutquam percipi possent, nisi accommodata illis instrumenta, uti sunt lingua, nasus, aures, oculi &c. corpori nostro Sapientissimum indidisset Numen. His demum intercedentibus advertere mentem nobis datur ad ea, quae per aërem sonant, quæ soluta in aquis hærent, quæ tenues per auras feruntur, quæ lumine radiant, quorumque omnium tanta est subtilitas, ut tactu, quem quidem proprie appellamus, copiam sui vix ullam fecerit. Sapida vario robore in corpora nostra se insinuant, fragrantibus vitæ fugatur languor, sonoris incitatur animus, coloratis & nitentibus attollimus veluti in cogitando & sursum rapimur. Atque lux quidem radis suis nostros in oculos illabentibus splendidam universi structu-

strueturam indicat potissimum, commonstratque adeo Creatoris opera, quam sint nitida, quam apta nostris usibus, quam ingentia. Non figuram modo & magnitudinem, sed venustatem quoque nobis proponit, colorum in magnificentia maxime effulgentem, qui licet ipsis sane in corporibus haud insint tales, quales a nobis sentiuntur, horum tamen e natura varia, superficiet praesertim, rationem haud postremam repetunt suæ & diversitatis & elegantiæ. Itaque Sapienter Milefius mundum dixit πόμπα τῷ Θεῷ καλλιεῖν, utpote qui tantam sui ostentat formositatem ac pulcritudinem, quantam qui oculis subiecere, animis æque metiri omnem haud unquam possint. Qui oculorum tristi casu amisit usum, persentit demum & intelligit quanto gavisus fuerat beneficio, quantæ obruatur calamitatis tædio. Contra nobilis ille Anglus cæcus natus simul ac Medicorum arte visum adultus, disfecto glaucomate, recepit, tanta perfusus fuit voluptate novi & inopinati spectaculi, ut obstupuerit plane, & attonitus ferre gaudio defecerit. Etenim quid amoenius, quid ditisus, quid concipi mente potest augustius, quam sereno æstatis die, solis late regnante spendoré, editiore non nihil e secessu, camporum æquora plantis vestita herbisque contemplari, id est pascere oculos mille flosculorum varie internitentium coloribus, quibus veluti stellulis tellurem Natura interstinxit; quorumque tanta est formositas, ut par nusquam reperiatur alia?

Qvis profecto ad satietatem usque miratus fuerit in Pavone tum innumerabilem multitudinem colorum, quibus ludunt tecrices dorsi pennæ, tum dispositam inimitabili arte hinc crescentis inde decedentis spenderis speciem. Quid? Amaryllida loquor formosissimam, cui partes putentur paucæ, anteferatur nulla; nitet purpura auroque fulgida, soli palmam præripere molitur æmula, florum facile regina & princeps, plantarum gloria, fidus

Adonidum, quod in his emicat ita, uti minores interignes luna, sic oculos exhilarat, uti sol universum.

Est sane speciosissimorum in floribus colorum nitor tantus, tanta opulentia, ut Sanctiori in codice, cœlestis ipsa Sapientia, a) ne Salomoneam quidem magnificenterissimam & immensi apparatus apud aulam dignius quidpiam, artificioius, glorioius invenerit, utque suæ divinitatis infinitum decus, ubi ex parte aliqua cogitandum nobis daret, e floribus quoque decerpere nonnunquam similitudines voluerit. b)

### §. II.

Ceterum mortales, qui pulcri in amorem naturaliteruntur impetu, facile allexit ubique obvia colorum gratia illa creatis rebus insita, ut naturam arte æmularentur, vestibusque, quibus pro involucris utuntur, colorum species quascunque generosiores injungerent. c) Namque innocuum per se erit studium quo amictus quoque libera- liori cultu dignosci velint erectiora ingenia, nec vitii quidpiam trahet, quoad meminerimus, haud caducam minus istam esse gloriolam, quam est umbræ levitas d) rerumque ceterarum, quibus vivi recte utimur, tametsi in mortuos nihil inde redundare possit aut laudis veræ aut salutis.

### §. III.

Orta vero hinc frequentari ars cœpit, quæ colores non affabre minus præparat, quam colorandis rebus inducit, quæque in eam denique excrevit amplitudinem,

ut

a) Matth. 6: 29. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι ἔδει Σολομῶν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ ἀγτεπεριβάλετο ὡς ἐν τέσσαρων (Κείμων.)

b) Cant. cant. c. 2: 1, 2, 5, 12, 13, 16. &c. cap. 4. &c. Vide & Gen. 30. quanto amore Rachel prosecuta est Dudaim.

c) Quidquid autumnus & crocei flores veris aspirant, imitatur colores, Lithov. Poëm. p. i. pag. m. 316.

d) Virg. Ecl. 2. - - - nimium ne crede colori, alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

ut unius hominis vita vix sufficeret ad recte cognoscendam aut omni in ambitu exercendam.

Distingvitur in PICTORIAM, quæ colores externe allinit, & TINCTORIAM, quæ iisdem imbuit; quod tum corlis accidit tum textilibus, sive lanea hæc sint, sive serica, sive lintera: quamquam ars ea sigillatim quæ *lanea* & *serica* tinge INFECTORIA proprie dicitur, illa videlicet, quæ nostram nunc qualemcumque industriam præcipue versabit.

#### §. IV.

Quia vero hæc arctioribus circumscribitur limitibus, non edifferendæ in præsenti sunt Physicæ causæ, quibus originem debent colores, quatenus nostris capiuntur oculis, quum pulcre eas Neutonus, huncque secuti alii explicuerint; neque meum erit Tinctoræ cuiusvis singulis præparandæ applicandæque methodos, Infectoribus receptas usu, persequi, siquidem de his jam integræ existent librorum Bibliothecæ. Id agam unice, quod quidem a nemine huc usque actum satis memini, ut *Materiam Tinctoriam* complectar, & simplicia pleraque tinctoria, unde petantur, exponam; quorum plurima uti Floræ debentur liberalitati, exceptis nonnullis e Regno Animali arcessendis, & sepositis quæ Regno e Lapideo colligenda picturis sere inserviunt; sic rudimenta Botanicæ Scientiæ, quam sub Auspicis Nob. D. Præsidis comparare licuit, in hoc opus impendam, quod nec inutile Musis nostris nec ingratum fore ausim sperare.

#### §. V.

Atque spissas quidem tenebras, quibus involuti habebant Medici, donec pura elaborataque augerentur Materia Medica, distinctoraque sciarent, unde simplex quodlibet peteretur Medicamentum, ex qua planta, ex qua ipsius parte, quo denique e loco &c. si contulerimus cum scientiæ qua hodie circumfundimur plena luce; patet oppido quan-

quantum evecta in fastigium hæc pars Botanices jam conspiciatur. Sed tinctoriam ad materiam ubi accesseram extricaturus plantas quibus illa constituitur, harumque vi- surus genera, species, differentias, tantis implicari accedit obstaculis, ut superari vix posse viderentur, ea præsertim in parte simplicium, quæ utraque ex India asportari cœpta in officinis tinctoriis nostri ævi invaluerunt. Nec evasi peritior postquam Tinctores, Lexica & grandia Volumina celebrium certe Auctorum consuluerant. Vocabula inveni & nomina variis e linguis cumulata unum supra alterum, diffusas descriptiones, siveca putamina, non nucleum, infidam nubem, non liquidam quam quærebam veritatem. Data igitur opera, quotquot videre contigit, Botanicos Scriptores evolvi, ut plantas singulas risarer, e quibus colligitur quidquid Tingendi Artificibus usurpari novi. Sed quia ne sic quidem obtinere potui, quominus ignarus non nunquam aut dubius ipse mihi visus sim oberrare, ea præsertim in cohorte Tinctoriæ Materiæ, quæ Indiæ alterutri est indigena, apriam candide quid adhuc desiderandum putem, ut si peregrinanti forte apud Indos suppetat occasio accuratius examinandæ rei, nec sibi desit, nec arti, quam illa diligentia mirum quantum sibi devinxerit.

### §. VI.

Colores primarios sex numerare convenit, 1 *Album*, 2 *Luteum*, 3 *Viridem*, 4 *Cæruleum*, 5 *Rubrum*, 6 *Nigrum*, qui tamen fundamentales haud potentur, qvum hoc nomen alio sensu sumi a Physicis neminem fugit. Primarii nobis dicuntur, quos natura passim distinctiores nobis effert suis in effectibus; quosque sejungere fas est a ceteris, varie orlundis, simulac e primariis illis bini pluresque commixti invicem temperatique fuerint.

Haud equidem ignoro viridem colorem e luteo cæ-  
ru-

ruleoque junctis existere. Nam & vulgo in officinis videre est pannum luteum cum albo pariter immitti in Athenum, cærulea refertum tinctura, & postquam æquo tempore uterque excoctus fuerit, hunc cæruleum, illum vero pallide. Viridem extrahi; sic quoque pannus cæruleus luteo insuper colore imbutus, obscure viridis evadit; nempe luteus fundus, lucidiorem viriditatem, cæruleus obscuriorem dabit.

Hinc sequentes colorum varietates; utpote e primariis duobus mixtis enatae constituantur:

CINEREUS	ex Nigro	& Albo.
OPALINUS	ex Albo	& Cæruleo.
ROSEUS	ex Rubro	& Albo.
PURPUREUS	ex Cæruleo	& Rubro.
VIOLACEUS	ex Cæruleo	& Nigro.
pallide VIRIDIS	ex Luteo	& Cæruleo.
obscure VIRIDIS	ex Cæruleo	& Luteo.

Attamen viridem nihilominus colorem inter primarios locare necessum est, eo videlicet nomine, quod in natura ipsa rerum videatur distinctus & maxime vulgaris, totiesque per se talis occurrat. *Cæruleus* color, is potissimum qui in regno vegetabili enascitur, excepto Indigoneo plerumque tenaciore, Alcali & Acido mirifice immutatur, ita, ut admixto acido, cæruleus rufus, nec arte adhuc firmatus, in Rubrum abeat, ex alcali autem cogatur in viridem; quo spectat antiquum illud: colores cærulei, ab acido rubri, ab alcali virides evadunt.

### §. VII.

Enimvero cui novos, in Regno Vegetabili, volupè fuerit colores investigare, ad duo in primis phænomena diligenter attendat animus, primum est, plantas observet, quæ colorem siccitatæ variant, præsertim ubi a Botanicis aut humidæ carptæ, aut tardius chartas inter bibulas arescantæ, ut primum fere gradum subierint putredinis. Hoc

modo siccatae *Mercurialis perennis*, *Rhinanthus crista* sunt  
cineraceæ; flores *Loti corniculati* & *Anthyllidis vulneraria*  
redduntur cœrulei; *Orobis niger*, *Lycopus europæus*, plu-  
rimæ Parasiticæ radicum: *Hypocistis*, *Cynomorium*, *Mo-*  
*notropa Lathræaque nigricant.*

Alterum est, Insectorum visitet hospitia, GALLAS pu-  
ta] vegetabilium, quæ postquam in illis ova sua deposue-  
runt infecta, ut in pullos dein excludantur, succi in plan-  
ta circulationem distorquent & coacervant in gibbosa tu-  
bercula, quibus tinctilis vis plerumque ineft; ut in *Quer-*  
*cu*, *Glechomate*, *Statice*, *Salice*, *Populo*, *Terebintho*,  
*Hieracio*, *Rosa*; quibus addenda reor alia plurima infe-  
ctorum cunabula, prioribus similia, quamvis solutiora, nec  
arcte adeo ipsi plantæ injuncta sint, dum succo tamen e-  
jus immediate fruantur; quorsum e Coccis referendi COC-  
CUS *Cacti*, *Quercus*, *Scleranthi*, *Uvæ ursi*, *Pbatalidis*,  
*Salicis*, *Ulmi* &c.

### §. VIII.

Colores albi in arte infectoria paucissimi, vel nulli  
potius, usurpantur, quod in Linteis, non modo & Laneis, sed  
in Sericis quoque a natura dudum parati adfint. Artis ergo  
heic opera eo demum redit, ut panni & cetera quæ albica-  
bunt intentius, Saponaceis tergantur recte & abluantur.

Viridis color est, qui oculorum aciem potissimum corro-  
borat, quemadmodum *Luteus radiis* præfertim accendentibus  
solaribus, inspectantes vexat. Rarius ille adhibetur color in  
arte tinctoria & parce admodum e Regno Vegetabili elicetur,  
quamquam herbæ, tantum non omnes, illius specie su-  
perbiunt. Eum ergo, antea ut monuimus, e luteo & cœruleo  
permixtis conficiunt artis magistri.

Colores cœrulei indigenis e plantis nobis rarius com-  
parantur, unde fere omnes ex advectis legendi sunt.

Speciosissimus ruber color oculis placet maxime amœ-  
no

no splendore. Intentior redditur plerumque admixto acido.

Colorem *nigrum*, quo lanea imbuunt tintores, Regno vegetabili haud acceptum referunt, sed in hunc usum coguntur necessaria e regno Lapideo petere adjumenta, Martialis præcipue, quæ tamen variis plerumque additis stipticis & adstringentibus vegetabilibus idonea & efficacia reddi oportet. Pannus quilibet nigrante fortius colore perfundendus, in quo quidem sita est elegantia, nam decet & tetraones suus nitor & absoluta nigredo, alio ut plurimum imbuatur colore necesse est. Additur quoque ad nigrum perficiendum colorem fructus Capsici annui, ut tenacior insideat, &c. quæ quidem mea nunc non fecero.

### MONANDRIA.

1. CURCUMA *longa* & *rotunda*. Sp. pl. 2. (Gurkmaja).

Planta perennis Indiæ orientalis, fera.

Radix Luteo tingit colore uberi sed fugaci.

### DIANDRIA.

2. LIGUSTRUM *vulgare*, Fl. svec. 5. (Liguster).

Frutex Europæ australioris & insulæ Orost Sveciæ, cicur.

Baccæ Purpuream picturam pro chartis lusoriis præbent. Raj. hist. 1603.

3. LYCOPUS *europaeus*, Fl. svec. 31.

Pl. perennis Europæ palustris, vulgaris.

Succus nigrante colore quævis adeo pertinaciter inficit, ut elui nequeat. Errones Cingali, ægyptios mentientes, faciem fusco colore ejus succo inficiunt. Hoffm. Schwenk.

### TRIANDRIA.

4. IRIS *germanica*, Sp. pl. 38. (Swerdslijja).

Pl. perennis Europæ australis, cicur.

Corollæ viridi tingunt expresso succo, cum alumine cocto, pro scriptura. B 2 5. CRO-

## 5. CROCUS sativus, Sp. pl. 36. (Safran).

Pl. perennis Alpium Europæ australioris, Africæ; cicut.  
Pistillum fulvo tingit pulcherrimo colore, unde usus  
eius frequentissimus, non modo in arte tinctoria,  
sed & in pharmaceutica & officinali.

## 6. BROMUS secalinus, Fl. svec. 96. (Losta, Swingel).

Gramen annum europæum; vulgare.

Panicula viridi tingunt Coloni, in primis Ystadienses.

It. scan. 277.

## 7. ARUNDO phragmites, Fl. svec. 105. (Was).

Gramen perenne europæum, lacustre; vulgare.

Panicula viridi tingunt Ruricolæ nostrates.

## TETRANDRIA.

## 8. SCABIOSA Succisa, Fl. svec. 119. (Angwådd).

Pl. perennis Europæ; vulgaris.

Folia sicca Luteo inficiunt rariori usu apud Rusticos  
recepta. It. scan. 277.

## 9. ASPERULA tinctoria, Fl. svec. 122. (Madræ).

Pl. perennis Europæ borealis, in primis Oelandiæ;  
vulgaris.

Radices rubro tingunt loco Rubiæ, collectæ antequam  
caulem exferant, frequenti usu in Insulis Balthicis.

It. Oel. 115. It. Gothl. 232, a tinctoribus expe-  
perimentis probatæ. Act. Stockh. 1742. p. 20.

## 10. GALIUM boreale, Fl. svec. 124. (Måra).

Pl. perennis Europæ borealis; vulgaris.

Radices rubro tingunt apud Rusticos Finlandiæ, quum  
vero minutiores anatica requiritur earundem quan-  
titas ad lanas inficiendas. Act. Stockh. 1745. p. 244.

## 11. GALIUM verum, Fl. svec. 123. (Mariæ Sångbalm).

Pl. perennis europæa; vulgaris.

Panicula florum Luteo inficit lanatas vestes colore,  
cum alumine cocta.

Radices

Radices rubro inficiunt colore, Act. Stockh. 1745.

p. 251, 244.

12. RUBIA tinctorum, Sp. pl. 109. (Krapp).

Pl. perennis Europæ australioris, arenosa, aprica; mansveta; plantanda facilissime ad Scanoram Sveciæ, It. scan. 233.

Radices rubro inficiunt colore, frequentissimo in usu apud tinctores.

13. CUSCUTA europæa, Fl. svec. 144. (Snarrefwa).

Pl. annua parasitica Europæ; vulgaris.

Herba subrufo tingit, sed debili colore.

### PENTANDRIA.

14. ANCHUSA officinalis, Fl. svec. 161. (Örtunga).

Pl. perennis Europæ; vulgaris.

Corollæ Viridem picturam recentes expressæ & succo cum alumine cocto præbent.

15. LITHOSPERMUM tinctorium, Sp. pl. 132. (Pseudo Alcanna).

Pl. perennis Galliæ Narbonensis; mansveta.

Radix rubrum dat colorem, sed fugacem, quapropter vix nisi Pharmacopolis in Medicamentis & Bezzettis usum præstat, qui eandem pro radice Alcannæ veræ substituunt; qvum vero & hæc rarius apud nostrates prostet, hujus Alcannæ succedaneum succedaneum porrigunt, radices scilicet Anchusæ præcedentis.

16. LYSIMACHIA vulgaris, Fl. svec. 171.

Pl. perennis europæa; vulgaris.

Herba Luteo inficit lanas, si fides Linder. tinct. 85.

17. GENIPA americana, Syst. Nat. 2. p. 931.

Arbor Ameriæ meridionalis; fera.

Baccæ in primis immaturæ atro tingunt vestes & labia manducantium colore, qui elui nequit, Feri

americanus hujus succo faciem obducunt, ut hosti-  
bus suis videantur terribiles. Si aquæ immixtus fue-  
rit succus, qua manus lavantur, nigredo per qua-  
tuordecim dies vix ulla arte exuitur

- 17 CAMPANULA rotundifolia, Fl. svec. 184. (Blått).  
Pl. perennis europæ; vulgaris.

Corollæ cæruleum dant pigmentum expressæ pro scri-  
ptura; addito autem alumine, viride.

- 19 RHAMNUS Frangula, Fl. svec. 203. (Tröste).

Frutex nemorosus subpaludosus Europæ; vulgaris.  
Corex flavo tingit colore,

Baccæ immaturæ viridi colore lanas inficiunt.

- 20 RHAMMUS catharticus, Fl. svec. 202. (Getapel).  
Arbuscula Europæ; vulgaris.

Cortex Luteo tingit pulcro colore, It. Oel. 58. It.  
Gothl. 175, 207.

Baccæ maturæ puniceum succum emittunt, sub au-  
tumnū serius decerpunt.

- 21 RHAMNUS minor, Bauh. pin. 478. (Grain d' avi-  
gnon).

Frutex Europæ australis, in primis Narbonæ, Hispaniæ, etiamnum obscurus; forte sola varietas præ-  
cedentis, sed minor & qualis ad Ollenberg W.  
gothiæ crescit?

Baccæ luteo tingunt præstantissimo, unde granorum  
tinctoriorum nomine venduntur per Europam &  
magno in pretio habentur.

- 22 CHÆROPHYLLUM sylvestre, Fl. svec. 257 (Hund-  
fåra).

Pl. perennis Europæ; vulgaris.

Umbella luteum præbet colorem, ipsa Serratulâ præ-  
stantiorem, sed Luteola inferiorem. Colligitur  
herba in primis cum summatibus sub florescen-  
tia, mox siccanda.

- Herba vero viridem** dat purum & pulcrum colorem.  
Act. Stockh. 1742. p. 37.
23. **THAPSIA. villosa**, Sp. pl. 261.  
Pl. perennis Hispaniae.  
Umbella Luteo tingit colore apud plebem Hispaniae.
24. **RHUS coriaria**, Sp. pl. 265. (Sumach).  
Arbor Europeæ australis ; mansveta.  
Cortex caulis flavo pannos colore inficit.  
Cortex radicis rufo tingit, nec ineleganti colore.
25. **RHUS Cotinus**, Sp. pl. 265.  
Arbuscula Austriae & Italiæ ; mansveta.  
Cortex caulis flavo inficit pannos colore.  
Cortex radicis rufo, nec ineleganti tingit.
26. **BASELLA rubra**, Sp. pl. 272.  
Pl. annua Indiæ orientalis ; fera.  
Baccarum succus violaceo eleganti tingit colore, sed fugaci, ideoque tantum pro Bezettis, ad cosmetica & ad tinturas colorandas grato colore, at nondiu constanti, adhibetur.

### HEXANDRIA.

27. **BERBERIS vulgaris**, Fl. svec. 311. (Berberis).  
Frutex Europeæ spinosus ; vulgaris.  
Radix luteo inficit lanas colore, lixivio macerata, quæ tota flavissima est.  
Cortex flavissimus luteo coria tingit savissimo colore (Saffian), frequenti usu apud Polonos.
28. **CALAMUS Rotang**, Sp. pl. 325. (Sangvis draconis)  
Frutex Indiæ orientalis ; ferus.  
*Sangvis Draconis*, succus inspisatus, officinis in Pharmaceuticis, frequenti usu apud Medicos rubro inficit colore. Hic ex fœculis fructus hujus Calami conficitur teste Kæmphero ; alii vero Auctores Sangvinem draconis a Pterocarpo, Praef. Mat. Med.

525, alii a *Lingono* Rumph. Amb. 2. p. 205, Tab. 70. deducunt, forte itaque originem pluribus debeat generibus.

**29. RUMEX Acetosa**, Fl. svec. 318. (*Syræ*).

Pl. perennis *Europæ*; *vulgaris*.

Radix exsiccata rubro colore inficit Decocta Pharmaco-  
porum, ceterum in arte tinctoria non usitata.

**30. RUMEX maritimus**, Fl. svec. 313. (*Hæfsyra*).

Pl. perennis maritima *europæa*; minus frequens.

Herbam luteum dare colorem, quod æstate demum  
admodum flava evadat, verisimile videtur, ut ex-  
perimenta cum hac instituere necessarium esse ju-  
dicarem, ex It. scan. 248.

### OCTANDRIA.

**31. SANTALUM album**, Sp. pl. 349. (*Sandæl*).

Arbor *Indiæ orientalis*; *fera*.

Lignum medullaris substantiæ pro *Luteo* colore de-  
cantatum est; Album vero officinarum, ejusdem  
arboris substantia exterior, rarius in arte tinctoria  
locum habet.

**32. LAWSONIA inermis**, Sp. pl. 349. (*Altanna*).

Arbuseula *Asiæ* & *Africæ*, maximeque in *Aegypto*  
cultæ.

Herba *Luteum* colorem præstantissimum exsiccata  
promit, quo Orientales corporis partes tingunt.

Radix *rutilum* dat colorem cum calce viva præpara-  
ta, qua orientales dentes, unges, faciem, jubar  
equorum, coria, ligna, ceras, ungventa, decocta,  
pannos &c. pingunt & colorant. Hoc nihil apud  
illos nitentius, nobis rarius nihil.

**33. POLYGONUM Persicaria**, Fl. svec. 342, Hydro-

piper, Fl. Svec. 343. (*Jungfrutwåhl*).

Pl. annuæ *Europæ*; *vulgares*.

Herba

Herba Luteo colore pannos laneos alumine imbutos  
tingit.

### DECANDRIA.

34. HÆMATHOXYLON *campechianam*, Sp. pl. 3084.

(Blauholz, Campechetråd, Loogwood).  
Arbor Indiæ occidentalis; fera.

Lignum violaceum colorem præbet, qui vulgari con-  
suetudine fundamenti instar pannis infertur, allo-  
insuper colore & sigillatim nigro imbuendis, vel  
ut ceteri dein illi superinjecti colores puriores  
fiant tenacioresque.

35. CÆSALPINIA *brasiliensis*, Syst. Nat. 2. p. 1018.

(Brasilija).

Arbor Indiæ occidentalis; fera.

Lignum rubro inficere colore in arte tinctoria vulga-  
tissimum est.

36. CÆSALPINIA *vesicularia*, Syst. Nat. 2. p. 1018.

(Brasilletta).

Arbor Americæ occidentalis; fera.

Lignum rubro-purpurascente colore tingit; quod et  
jam tinctoribus maxime est vulgare.

37. CÆSALPINIA *Sappan*, Sp. pl. 381. (Sappan).

Arbor Indiæ utriusque; fera.

Lignum purpurascente colore pulcro imbuere, in re  
tinctoria notissimum.

38. LIGNUM *rubrum*, Dal. Pharm. 376, Brasillo simile

lignum vernembock, Bauh. hist. I. p. 494. Raj. hist.  
1737. (Sernbock).

Arbor brasiliensis e Fernambuca Americæ; Botanicis  
obscura.

Lignum, rubro purpureoque colore ad imbuendos  
pannos vulgatissime recipitur.

39. ARBUTUS *Uva urſi*, Fl. ſvec. 358. (Miolonris).

C

Frutex

*Fruticulus procumbens Europæ frigidioris; vulgaris.*  
*Folia cinero in colore frequenter usurpantur, Act.*  
*Stockh. 1742. p. 28.*

40. **MELASTOMA** variarum specierum, Sp. pl. 389.  
*Frutex utriusque Indiæ; imprimis Americae.*  
*Baccæ nigro colore contaminant os manducantium,*  
*haud aliter ac Vaccinia nostra, sed remanente ni-*  
*gredine ad quartum decimum usque diem.*

41. **GYPSOPHILA Struthium**, Syst. Nat. 2. 1028. Löff.  
*It. 37.*

*Pl. perennis imprimis provinciæ Lamanchæ Hispaniæ.*  
*Radix quidem non tingit, sed pannos albos purgat*  
*loco saponis.*

*Struthium quo fullones in pannis purgandis lanisque*  
*lavandis utebantur, Dioseor. L. II. c. 193.*

*Radicula Struthionis, quæ lavandis lanis succum ha-*  
*bet mirum quantum conferens candori mollitiæque,*  
*Plin. L. XIX. c. 3. Hac etjamnum Hispanos in*  
*Lamancha vestimenta coquere & abluere haud mi-*  
*nori effectu ac si sapone aut Smegmate uterentur,*  
*Löfing l. c. commemorat. Vera haud dubie Sapo-*  
*naria veterum, unde nomen traxere Saponariæ in*  
*universum omnes.*

*Inquirendum num Gypsophila fastigiata, Fl. svec.*  
*379, adeo affinis, idem præster, ut veri videtur*  
*simillimum?*

42. **PHYTOLACCA americana**, Sp. pl. 441.  
*Pl. perennis Americæ septentrionalis; cicur.*  
*Baccæ roseum colorem Bezettis & tinturis conciliant*  
*expresso succo, sed fugacem.*

### DODECANDRIA.

43. **RESEDA Luteola**, Fl. svec. 424. (Wau).  
*Pl. annua europæa; cicur. & vulgaris,*

Herba *Luteum* pulcherrimum dat colorem, (chamois) unde frequentissimo tinctoribus in usu, & copiose ab exteris aportatur, quamvis facilime apud nos proveniat.

### ICOSANDRIA.

44. PRUNUS *domestica*, Fl. svec. 430. (Plommonträ).  
Arbor hodie *europaea*, in australibus *vulgaris*,  
Cortex *Luteum* dat Ruricolis colorem.
45. PYRUS *Malus*, Fl. svec. 437. (Appel).  
Arbor *europaea* culta & inculta; *vulgaris*.  
Cortex *Luteum* tinctoribus colorem præbet.
46. TORMENTILLA *erecta*, Fl. svec. 459. (Blodrot).  
Pl. perennis *Europæa*; *vulgaris*.  
Radix *rubrum* colorem masticata & inuncta coriis  
inducit apud Lappones, Fl. lapp. 213.
47. COMARUM *palustre*, Fl. svec. 463. (Kräffötter).  
Pl. perennis *Europæa*; *vulgatissima*.  
Radice *rubrum* Fenni colorem, licet viliorem efficiunt.

### POLYANDRIA.

48. ACTÆA *spicata*, Fl. svec. 464. (Trollbär).  
Pl. perennis *europæa nemorosa*; *vulgaris*.  
Baccarum succus *atramentum nigrum*, cum alumine  
coctus, præbet.
49. CAMBOGIA *Gutta*, Syst. Nat. 2. p. 1073. (Gummi  
mi-gutta).  
Arbor *Indiæ orientalis* succulenta; fera.  
Lac insipiatum *Luteam Gummi guttam officinarum*  
constituit, frequens in arte pictoria, in tinctoria  
rarius usurpatur.

50. BIXA *Orellana*, Sp. pl. 512. (Orlean).  
Arbor utriusque *Indiæ*, in primis *occidentalis*; fera.  
Seminum fæculæ *rubrum* sistunt colorem tinctoribus  
in usu frequentissimum, eoque sylvestres ameri-  
candi nuda sua corpora pingunt. C 2 51.

51. DELPHINIUM *Consolida*, Fl. svec. 475 (Riddar-sporre).

Pl. annua *Europæ*; vulgaris.

Corollæ succus *cæruleum* pigmentum, cum alumine coctus, constituit, quo utuntur scribæ.

52. ANEMONE *Pulsatilla*, Fl. svec. 481. (Bäckslippa).

Pl. perennis *Europæ borealioris*; mansveta.

Corollæ *viridem* tincturam succo expresso fistunt pro scriptura.

53. THALICTRUM *flavum*, Fl. svec. 488.

Pl. perennis *Europæ* in subhumidis; vulgaris.

Radix *Luteo* colore lanas tingit ipsa flavissima.

Folia etiam *Luteo* inficere constat ex Act. Stock. 1745.

p. 250.

54. CALTHA *palustris*, Fl. svec. 511. (Krabbelef).

Pl. perennis *europea palustris*; vulgaris.

Corollæ succus *luteum* atramentum, cum alumine coctus, edit.

## DIDYNAMIA.

55. ORIGANUM *vulgare*, Fl. svec. 534. (Dosta).

Pl. perennis *Europæ*, rupestris; vulgaris.

Summitates purpurascens colorem fistunt Colonis nostratis. It. Oel. 58, 97, 101. It. scan. 277.

56. STACHYS *sylvatica*, Fl. svec. 526.

Pl. perennis *Europæ*, nemorosa; vulgaris.

Herba *Luteo* tingit colore ex testimonio Linderi tint. 52.

57. ACANTHUS *mollis*, Sp. pl. 939.

Pl. perennis *Europæ australis*, in primis *Italiæ*; mansveta.

Herbam *Luteo* inficere ab antiquissimis temporibus constat:

*Et circumtexum* *trogeo velamen* *Acantho*. Virg. gen. 1; 653.

TE-

## TETRADYNA MIA.

58 ISATIS *tinctoria*, Fl. svec. 614. (Weide).

Pl. biennis *Europæ maritima*, rarer in *Svecia*; circu.  
Herbæ fæculæ cæruleum colorem gignunt, cum quo  
indigoneus miscetur ad decoctum ad cæruleum (Blå  
kypen). Apud nos denique plantarū cœpit, licet  
adhuc plus justa copia a finitimiis ematur.

Mola, qua ruditis planta teritur, descripta est in Itin.  
W. gothicō 128. Processum autem præparandi  
coloris graphice percenset J. Raj. hist. 842.

## DIADELPHIA.

59 INDIGOFERA *tinctoria*, Sp. pl. 751. (Indigo).

Suffrutex *Indiæ orientalis*; ferus.

Fæculæ cæruleæ, (Indigo s. *Succus cæruleus*) præ-  
stantissimus inter omnes notos colores pro tincto-  
ribus, utpote nec ab acido mutabilis, nec ab alcali,  
ideoque usu maxime receptus.

Ab exteris haud parvo nobis emendus est pretio;  
quoniam nondum ex indigenarum aliqua æque effi-  
cacem usum elicere potuerunt Oeconomi, solici-  
te licet allaboraverint, ut plantam Europæam, e-  
jus in locum substituendam reperirent.

Modum hujus præparandi ex Hernando acceptum  
Rajus ita descripsit: Folia incisa in ahenum corti-  
namve ferventis aquæ, sed jam ab igne sepositæ,  
repentisque aut melius (ut rei affirmant periti) fri-  
gescentis, neque ignem expertæ, conjiciuntur,  
concutiunturque vehementer rutris, ac paulatim  
aqua infecta transfunditur in testam aut dolium,  
& tandem per foramina, paulo sublimiora, effuso  
humore, quidquid e foliis discessit, permittitur resi-  
dere. Fæx illa pigmentum est; siccatur in sole,  
& sacco cannabino percolatur; mox efformantur par-

væ rotæ, quæ catinis superpositis, carbonibus solidantur, ut recondi tandem queant in annuos usus. Indigoferæ herba dum siccatur sensim cærulea evadit, unde conjicere licet, quod *Lotus corniculata* (Fl. svec. 675.) & *Anthyllis vulneraria* (Fl. svec. 638.) quarum flores siccati pariter cærulescunt, ejusmodi tinturam indigoneam præparari posse?

**60. GALEGA tinctoria**, Syst. Nat. 2. p. 1172.

Pl. perennis Zeylonæ; fera.

Colorem cæruleum ex ea parari apud Cingalos indigo-neo ipso præstantiore tradit Hermannus, cuius tamen modus & usus nondum innotuit Europæis Fl. Zeyl. 302.

**61. ANTHYLLIS vulneraria**, Fl. svec. 638. (Räfflor).

Pl. perennis europea, aprica; vulgaris.

Herbam Luteo colore vestes Rusticorum, a quibus rarius adhibetur, inficere constat.

Flores exsiccatione cærulei evadunt quemadmodum Flores Loti corniculatæ, vid. n. 59.

**62. GENISTA tinctoria**, Sp. pl. 710. Fl. svec. 634. (Ginst).

Fruticulus Europæ, in primis Germaniæ, Galliæ, Angliæ, vix Sveciæ; cicur.

Flores Lutea in tintura frequentes & præstantes apud suos populares habentur.

Schutgelb pictorum ex hac parari, Lind. tint. 82.

**63. TRIFOLIUM pratense**, Fl. svec. 666. (Rödwppling).

Pl. perennis Europæ; vulgaris

Florum capitula viridi colore vestimenta lanae inficiunt frequenti apud Scanos in usu, It, Scan. 277.

## POLYADELPHIA.

**64. HYPERICUM perforatum**, Fl. sv. 680. (Johannis ört).

Pl. perennis Europæ; vulgaris.

Flores

Flores luteis in tincturis rarius a Ruricolis adhiben-  
tur, & vilioris sunt pretii.

### SYNGENESIA:

65. HIERACIUM *umbellatum*, Fl. svec. 704.

Pl. perennis *Europæ* in arenosis fabulosisque; vulgaris.  
Herba *Luteum* præstantiorem suppeditando colorem,  
nuper apud nos inclaruit, nondum licet vulgaris  
usu frequentari coeperit. It. scan. 342.

66. SERRATULA *tinctoria*, Fl. svec. 713. (Ängståra).

Pl. perennis nemorosa *Europæ*; vulgaris.

Herba *Luteo* colore tingit uti *Luteola*, licet inferio-  
ri, tinctoribus usitatissima. Olim ab exteris emta  
apud nos sponte nascitur tam crebra, ut hodie  
exportaretur. It. W. goth. 10, 64. It. Gothl. 22.

4. It. Scan. 201, 284.

67. CARTHAMUS *tinctorius*, Sp. pl. 830. (Safflor).

Pl. annua *Ægypti*; cicur.

Corolla *Roseum* colorem acido præparatæ præbent  
nitidissimum, serica in primis venuste colorantem.  
Lind. tinct. 44. Facile apud nos feritur, modo  
nec transferatur, nec rigetur.

68. BIDENS *tripartita*, Fl. svec. 326. (Brunnsår).

Pl. annua *Europæ*, in subhumidis; vulgaris.

Herba *luteo* colore, nec ineleganti tingit. It. Oel. 58,  
101. It. scan. 240, 277.

69. SENESIO *Jacobæa*, Fl. svec. 751. (Stånde).

Pl. perennis *europæa*; vulgaris.

Planta *viridi* saturato colore tingit tota, radice, cap-  
ile & foliis ante florescentiam lecta, nec exfica-  
ta, cum laneis vestimentis cocta; color autem,  
a radiis solaribus debilitatur. Act. Stockh. 1745.  
p. 248.

- 70 ANTHEMIS *tinctoria*, Fl. svec. 769. (Lettblomster).  
 Pl. annua *Europæ*, campestris.  
 Flores *Luteum* dant colorem lucidum, inter nostra-  
 tes plantas luteo-tinctorias plurimum æstimati. It.  
 Gothl. 223. Flores *Chrysanthemi* /segetum his pri-  
 mo intuitu similes, in Scania Hallandique vul-  
 gares, illorum non possunt substitui loco, ut ex-  
 perientia docuere.
71. CENTAUREA *Jacea*, Fl. svec. 774. (Knäppar).  
 Pl. perennis *europæa*; vulgaris.  
 Herbæ *Lutea* tinctura succedaneum præstat Serratulæ,  
 It, Gothl. 307. It. W. Goth. 24. It. scan. 284.
72. CENTAUREA *Cyanus*, Fl. svec. 776. (Blåkling).  
 Pl. annua *europæa*, vulgaris.  
 Corollæ *radiantes*, *cæruleum* dant succum pro scri-  
 ptura, expressæ.
73. CALENDULA *officinalis*, Fl. svec. 777. (Ring-  
 blomma).  
 Pl. annua *europæa*; cœur & vulgaris.  
 Corollæ *radius* *Luteum* pigmentum succo expresso;  
 cum alumine cocto præbet; at siccatae Corollæ  
 croci loco apud Rusticos interdum tingunt.
75. VIOLA *odorata*, Sp. pl. 934, Fl. sv. 784. (Sioler).  
 Pl. perennis *Europæ*, in primis australioris; cœur.  
 A Petalis *violaceus* syrpus violarum conficitur, quo  
 varia præparata pharmaceutica colorantur; idem  
 adhibetur saepius in examine aquarum ad detegen-  
 dum acidum aut Alcali.

### GYNANDRIA.

75. SATYRIUM *nigrum*, Fl. svec. 805. (Brunkulla).  
 Pl. perennis *Europæ*, subpalpinæ; rarior.  
 Flores *Violaceo* colore spiritum frumenti tingunt.

## MONOECIA.

76. BETULA, alba, Fl. svec. 859. (Biörk).  
*Arbor Europæ, nobis vulgatissima.*  
*Folia Luteo debili colore inficiunt, Colonis subinde*  
*nostratis usitata.*  
*Sutgrön Pictorum præparandi modum vide Lind.*  
*tinct. 81.*
77. BETULA nana, Fl. lapp. 342. (Stärre).  
*Frutex Laponiæ frequens; cicur.*  
*Folia Luteum colorem, quam Betula alba præstantiorem,*  
*suppeditant, teste Gadd. satag. 57.*
78. BETULA Alnus, Fl. svec. 861. (Al).  
*Arbor Europæa, in subhumidis, vulgaris.*  
*Cortex rufa colore inficit, at vero Martialis addi-*  
*tis nigredinem auget; ille autem pescatoribus in-*  
*primis usitatus in colorandis retiis.*
79. MORUS tinctoria, Sp. pl. 986. (Fustik Angl. Geel-  
*haut Belg.)*  
*Arbor Americæ meridionalis; fera.*  
*Lignum Luteum edit colorem in tincturis præstantis-*  
*simum.*
80. URTICA dioica, Fl. svec. 863. (Urtålla).  
*Pl. perennis Europæ in ruderatis; vulgatissima.*  
*Radicibus luteis Coloni tingunt ova, præcipue quæ*  
*Paschatis festo lutea coquunt.*
81. XANTHIUM strumarium, Fl. svec. 864.  
*Pl. annua Europæ, in primis australioris; vulgaris.*  
*Herba Luteo specioso colore, tota cum fructibus cocta,*  
*tingit.*
82. QVERCUS Robur, Fl. svec. 870. (Eft).  
*Arbor Europæ excelsa; vulgaris.*  
*Arbor nigrum Martiale intentius reddit cortice & Ca-*  
*lycibus fœmineis s. Cupulis fructus, utpote insigne*  
*stipticum.*

83. QVERCUS *Aegilops*, Sp. pl. 996.*Arbor Europæ australis*; cicur.

*Cupulæ nigrum* colorem intendunt more antecedentis; hæ majores apud Coriarios magis in usu sunt, quam apud tinctoros.

84. CARPINUS *Betulus*, Fl. svec. 872. (Afwenboë).*Arbuscula Europæ & Sveciæ australis*; cicur.*Cortex Luteo* in colore in primis apud Scanos adhibetur.85. CROTON *tinctorium*, Sp. pl. 1004. (Tournesol)*Pl. annua* in *Gallia Narbon.* culta.

*Lacmus exruleo* colore inficiens, succus est inspissatus pro chartis & Pharmacopæorum tincturis. Ab alcali & acido facilime immutatur, quorum item ad examen aquarumque adhibetur.

## DIOECIA.

86. SALIX *pentandra*, Fl. svec. 879, *purpurea* 884. (Jolster).*Frutices Europæ* in subhumidis; vulgares.

*Folia Luteum* colorem præbent exsiccata, eumque sat satis nitidum. It. scan. 293.

87. EMPETRUM *nigrum*, Fl. svec. 904. (Kräklinge).*Fruticulus Europæ* procumbens; vulgaris.

*Baccæ atro-purpureo* colore inficiunt vestes, cum alumine coctæ.

88. MYRICA *Gale*, Fl. svec. 907. (Pors).*Fruticulus Europæ borealis* in subhumidis; vulgaris.

*Herba Luteo* colore lanas tingit, serius recepta; It. scan. 293.

89. DATISCA *canabina* & *hirta*, Sp. pl. 1037.*Pl. perennnis Archipelagi & Americæ septentrionalis.*

*Herbæ Luteo* inficere videntur, quod adultæ insigniter flavescant, ideoque cum eis experimentum instituendum operæ pretium judico.

## POLYGAMIA.

90. FRAXINUS *excelsior*, Fl. svec. 926.

(Aſt).

Arbor

*Arbor Europæ; vulgaris.*

*Cortex cœruleam reddit aquam in qua maduerit. Cœ-*  
*falp. pl. 44. Decocto saturato corticis interioris*  
*imbuitur pannus, antea Lycopodium complanato*  
*tinctus. Lind. tinct. 63.*

MUSCI.

91. LYCOPODIUM *complanatum*, Fl. svec. 958. (*Jemna*).

*Muscus Europæ borealis; vulgaris.*

*Muscus Luteo pulcherrimo colore tingit, Rusticis in*  
*usu frequens.*

ALGAE.

92. LICHEN *Roccella*, Sp. pl. 1154. (*Orseille*).

*Alga maris Mediterranei, in primis in scopulis.*

*Præparatus purpurascente, nec lato nec tenaci satis*  
*tingit ad nos rarius asportatus color. Fertur et-*  
*jam idem lucidiorem ad colorem vinis concilian-*  
*dum adhiberi. Raj. hist. 70.*

92. LICHEN *tartareus*, Fl. svec. 1070. (*Byttelet*).

*Alga Europæ, in rupibus imprimis maritimis; vulgaris.*

*Præparatus purpureum dat, uti præcedentis succeda-*  
*neum, colore, Westrogothis frequens, It. W.*  
*goth. 146. Act. Stockh. 1745. p. 275.*

93. LICHEN *saxatilis*, Fl. svec. 1075. (*Stenmossa*).

*Alga Europæ in saxis; vulgaris.*

*Alga Purpureum inducit colorem vestimentis, Ruri-*  
*colis frequenti in usu. It. Oel. 30, 101. It. Gothl.*  
*209.*

94. LICHEN *Juniperinus*, Fl. svec. 1093. (*Erimossa*).

*Alga Europæ in Juniperis; vulgaris.*

*Alga luteo colore inficit vestes laneas, Ruricolis no-*  
*stratibus usitata. Act. Stockh. 1742. p. 26.*

95. LICHEN *parietinus*, Fl. svec. 1080. (*Wåggmåssa*).

*Alga Europæ in parietibus ligneis; vulgaris.*

*Alga luteo, more antecedentis, inficit, mulierculis no-*  
*stratibus recepta.*

96. LICHEN *candelarius*, Fl. svec. 1069. (Liuemǣßa).  
*Alga Europæ* itidem in parietibus, frequens.  
*Alga luteum* dat colorem more antecedentium, sed  
usu rariori.
97. BYSSUS *Jolithus*, Fl. svec. 1178. (Violmǣßa).  
*Alga Europæ borealis* in saxis sylvaticis eversis.  
*Alga luteo saturatissimo tingit* colore, simulque sva-  
veolenti, sed usu rariori, cum minutissima sit.

## PALMÆ.

98. ARECA *Cathecu*. Spec. Plant. 1189. (Terra Cathecu)  
*Palma Indiæ orientalis*; fera.  
*Fæculæ rubram terram Cathecu* Pharmacopræorum, ex  
fructibus immaturis conscißis, in aqua coctis addi-  
ta calce viva, præbent; quæ frequentiori in Me-  
dicina usu adhibentur, quam in re tinctoria.

## ANIMALIA.

99. CYNIPS *Salicis strobili* & *amerinæ* & *viminalis*. Syst.  
Nat. I. p. 554. n. 10. II. 12.  
*Insecta Europæa Salicis*, Gallæ producentia; vulgaria.  
*Gallæ luteum* colorem suppeditant, quamvis usu non  
dum receptæ.
100. CYNIPS *Quercus folii*, Syst. Nat. 553. n. 5. (Gallæple).  
*Insectum Europæum Quercus Roboris*, in foliorum pa-  
gina inferiori; frequens.  
*Gallæ atramenti* colorem atrum & tinctorium cum  
martialibus ingrediuntur, usu vulgatissimo.

101. APHIDES? *Pistaciae*.

*Insecta Europæ australis* & *Orientis*, in *Pistacia Len-*  
*tisco*. *Terebintho* &c. & quidem tantum in race-  
mo florum masculorum, si fides auctoribus, folli-  
culo spithameo, crassitie pollicis, cavo coreaceo,  
*luteo - rubro*.

*Galla Luteos vel admixto acido Rubros* colores parant  
*Orientales*, teste Bellonio.

**102. INSECTA lacicifera ; obscura , an Formicæ ?**

Insecta Indiæ orientalis e *Crotone lacicifero* colliguntur

Resinam , quæ sub nomine *Laccæ* in granis prostat ,  
Hermannus . *Lacca* in Baculis an specie a hac di-  
versa non dum constat .

*Lacca rubro* præstantiore colore scatet , frequens in  
usu pharmaceutico ; pro *Bezettis* & vermicibus .

**103. COCCUS Ilicis , Syst. nat. I. p. 455. n. 4.**

Insecta *Quercus cocciferæ* in Gallia narbonensi , Hi-  
spania .

Fœmina gravida exsiccata *rubro* tinctoria , frequens  
Tinctoribus & Pharmacopolis .

*Lacca florentina* (Carmin) e Cocco *Ilicis* , *Cacti* infuso ,  
*Cæsalpiniae* cum alumine paratur .

**104. COCCUS Cacti , Syst. nat. 457. n. 17. (Coccionell).**

Insectum Americæ meridionalis , in *Cacti Opuntiae*  
variis speciebus habitans , fumi pluviaeque impa-  
tiens ; vivum visum ante aliquot annos in Caldario  
Horti Upsaliensis .

Feminæ gravidæ exsiccatæ adeo lœtum rubrum co-  
lorem præbent , ut veterum Purpura hodie facile  
careamus ; ideoque eo nihil frequentius in arte tin-  
ctoria ; in examine aquarum locum etiam habet .

**105. COCCUS polonicus , Syst. Nat. I. pag. 456. n. 17, Fn.  
svec. 720.**

Insectum Indigenum ad radices *Scleranthi pèrennis* ,  
Fl. Svec. 378. *Hieracii Pilosellæ* 697. Itemque  
in radicibus *Arbuti uvæ urfi*. Fl. sv. 358. præ-  
cedente æstate inventum .

Feminæ gravidæ *rubro* colore tingunt non inferiore  
illo , qui e præcedenti *Coccinella officinarum* paratur .

**106. COCCUS Ulmi , Syst. Nat. 455. n. 7.**

Insectum undique in ramulis *Ulmi campestris* .

Insecta *rubro* tingunt colore , nec insvavi .

## VERMES,

**107.** TURBO Clatbrus, Syst. Nat. 1. p. 765. (Pupur).  
Cochlea Europæ australioris Oceani.

Purpura veterum a Græcis olim Romanisque decentata e cochlea quadam elictebatur. Colorem huic similem ex Helicibus variis Syst. Nat. 768. derivari posse comprobavit Listerus; nimirum cum inter tentacula punguntur cochleæ gutta emanat pallida, quæ deinde soli exposita purpurascit. Quum vero, qua e specie Cochleæ veteres genuinam sumferint purpuram, certo hodie non constet, nuper Plancus, loci incola, statuit fuisse Turbinem Clathrum, quod etiam veri simillimum videtur; quidquid sit parum desideratur veterum purpura hodie; dum tantæ pulcritudinis colorem præstent americanæ Coccæ.

Mox de ΘΕΩ δοξα!

